

HEIN, HEINRICH

Disputatio juridica de nupitiis ... :
[Resp.: Andreas Fridzberg.]

EOD - Miljoner böcker bara en knapptryckning bort. I mer än 12 europeiska länder!



Tack för att du väljer EOD!

Europeiska bibliotek har miljontals böcker från 1400- till 1900-talet i sina samlingar. Alla dessa böcker går nu att få som e-böcker – de är bara ett musklick bort. Sök i katalogen från något av biblioteken i eBooks on Demand- nätverket (EOD) och beställ boken som e-bok – tillgängligt från hela världen, 24 timmar per dag och 7 dagar i veckan. Boken digitaliseras och blir tillgänglig för dig som e-bok.

EOD bokens fördelar!

- Få samma utseende och känsla som med originalet!
 - Använd ditt standardprogram för att läsa boken på skärmen, zooma och navigera genom boken.
 - *Sök:** Använd fulltextsökning för enskilda fraser.
 - *Klipp & klistra:** Kopiera bilder och delar av texten till andra applikationer (t.ex. ordbehandlingsprogram).
- *Ej tillgängligt i varje e-bok.


Villkor för användning

Genom att använda EOD-tjänsten accepterar du de villkor som ställs av biblioteket som äger den aktuella boken.

- Villkor för användning: <https://books2ebooks.eu/csp/sv/nls/sv/agb.html>

Fler e-böcker

Redan nu erbjuder 40 bibliotek från 12 europeiska länder denna service. Sök böcker tillgängliga för den här tjänsten: <https://search.books2ebooks.eu>
Mer information finns tillgängliga via <https://books2ebooks.eu> boken.



Kungl. Biblioteket
STOCKHOLM

Teol.
Pastoralt.

U. H. F. 1710

4

Quod DEUS secundet.

DISPUTATIO JURIDICA

De

NUPTIIS,

Quæ

In Regia GUSTAVIANA ad Embeccam Academia, consensu & adprobatione Facultatis Juridicæ, placido publicæ discussionis Examine subji-

tur

P R Æ S I D E

HENRICO HËRN / U. J. D.

Professore Ordinario, & Regii in Livonia

& Ingria supremi Judicii

Adfessore;

Respondente

ANDREA FRIDZBERGIO,

Reg. Acad. Secretario,

In Auditorio Majori ad d. V. Kal. Junii

Anni M. DC. LIV.



Dorpati Livonorum,

Excudit JOHANNES VOGELIUS, Reg. Acad. Typog.

Quod DEUS...

DISPUTATIO JURIDICA

DE

INUPPITIS

Qua

In Regia GUSTAVIANA ad Embocam Acad.

mae, coeque ad obsequium...

publice disputatione...

1702

P R A E S I D E

HENRICO SESTI W.D.

Professore Ordinario & Regii in Livoniae

& juris privati Juris

adlocuti


Exordium

ANDREA FRIDBERGIO,

R. Acad. Secretario.

In Academia Juris ad h. V. Kal. Janis

1702



Dopari Livoniarum

Exordii Johannee Voelgeri R. Acad. Typog.

Disputationis Juridica

De Nuptiis

Thesis 1.



Quum nuptiarum Contractus, teste Oldendorpio, inter omnes sit saluberrimus; utpote quo solo genus humanum pulcro conservatur ordine & propagatione: è re fore putamus, si de hac ipsa materia aliquid in medium protulerimus.

2. Nuptiæ à nuptu & nubendo vel operiendo dicuntur. Ducendæ enim in domum viri matronæ, certo velaminis genere, lutei videlicet coloris, obnubebantur, & ita faciem in signum pudoris & subjectionis velabant. *Forster. h. e. 2.* debent enim propter ea nuptiæ velatæ incedere, ut sciant se viro esse subjectas, & discant humiles esse. *Can. est Ordo. 33. 9. 5.*

Etyms.

3. Hinc liquet nuptias festivitatem & ritus nuptiarum potius denotare, *Rubr. de ritu nupt.* quam ipsum matrimonium, quare etiam ut diversa sæpè ponuntur *l. 12. d. 1.*

4. Veteribus autem istis ritibus antiquitatis, hodie nuptiæ & matrimonium (dictum, quòd mulier, ut mater fiat, potissimum nubat *l. 2. C. de ind. vid. coll.* & mater semper sit certa *l. 5. C. de in jus voc.*) & Conjugium, (quòd conjungantur nubentes & sub unū jugum redigantur *l. 21. C. h. e.*) & connubium *l. 45. S. 4. h. e.* promiscuè sumuntur, *dd. ll. & S. 1. pr. j. h. e.*

5. Definiuntur nuptiæ, quod sint legitima masculi & foeminae conjunctio, individuam vitæ consuetudinem continens, ad propagandum genus & mutu-

Defin.

tuum vitæ subsidium divinitus instituta, §. 1. j. de patr.
pot. Dn. Locc. exerc. 4. b. 1. Vel conjunctio maris &
fœminæ, consortium omnis vitæ, divini & humani Ju-
ris Communicatio l. 1. ff. h. t.

6. Legitima Conjunctio dicitur pr. j. h. t. ut ex-
cludatur concubinatus. Qui ut olim permissus; rectè
& piè, quoddirectò pugnet cum jure divino 2. Cor. 27.
Heb. 12. v. 4. post à Leone Imp. N. 91. est sublatus.

7. Viri & mulieris, dicit Imperator, ad excluden-
dam Polygamiam l. 2. C. de incest. nupt. Licet vero huic
delicto olim pœna capitalis determinata non fuerit
l. 18. C. d. adult. post tamen perinde ut adulterium, ulti-
mo supplicio hoc crimen vindicatum est. Const. Car. V.
art. 121. Postquam CHRISTUS ipse ad primævam nu-
ptiarum institutionem nos revocavit Matth. 19, 4.

7. Iisdem verbis damnatur etiam horrenda &
turpissima Sodomitica commixtio, N. 77. c. 1. N. 141.
c. 1. quam olim ultore gladio l. 31. C. ad l. jur. de adult.
hodiè leges igne persequuntur Const. Carol. art. 116.

8. Verbis individuum vitæ consuetudinem continens; ad
arctissimum illud vinculum, quo invicem conjuges
colligantur, ejusq; intuitu tam adversæ quam prospe-
ræ fortunæ socii, adeoque velut ejusdem vitæ partici-
pes fiunt, respectus habetur a. l. 22. §. 7. solut. matr. un-
de etiam maritum vagabundum relegatum & banni-
tum uxor sequi debet. Can. unquicq; 13. q. 2.

9. Addit modestinus divini & humani Juris Com-
municatio. Divini Juris ut excludatur cultus dispa-
ritas, l. 6. C. de Judæis, quandoquidem uxor sacrorum
olim socia suscipiebatur. l. 4. C. de Crim. expil. hered.
uti & legibus Mosaicis Judæi cum alienigenis conjungi
prohibebatur, Exo. 34. v. 16, Deut. 7. v. 3. Quemadmodum
etiam

etiam in N. T. matrimonia cum infidelibus impro-
bantur. *a. 2. Cor. 6. v. 14.* Contracta tamen minime
sunt dissolvenda, quamdiu Conjux infidelis consen-
tit. *1. Cor. 7. v. 13. & seqq. 1. Pet. 3. v. 1.*

10. *Humani Juris*; Quia uxor particeps fit mariti
domicilii *l. 65. de Judic. familiae l. 195. S. 2. de V. S. digni-
tatis. l. 8. defenator. & privilegiorum l. 6. C. de profess.* Ea-
dem illi quæ marito debetur reverentia. *l. 1. C. de injur.
voc. & injuria illi illata marito facta censetur. l. 6. C. de
injur.*

11. Et hæc jura etiam in viduis durant. *l. 22. S. 1.
ad municip.* Per secundas autem cum vilioris condi-
tionis homine initas nuptias amittuntur. *l. 8. inf. de se-
nator. l. 2. C. h. t. in tantum, ut nec post mortem secun-
di mariti reviviscant, Quid quod societas vitæ bono-
rum quodammodo communionem inter conjuges
introducere videatur, eosq; invicem ad mutua vitæ
subsidia obliget. l. 1. rer. amar.*

12. Autor & Institutor nuptiarum est ipse DE- *Causa effe.*
US, *Gen. 2. v. 18. 21. 22. Judic. 14. v. 4. Matth. 19. v. 4. 6.*
unde & quod tantum auctorem habet, merito inter
quosvis honoratum erit. *Hebr. 13. v. 14.*

13. Nuptias contrahunt omnes qui nominatim
prohibiti non reperiuntur. *a. l. 12. de judic. l. 23. X. de
sponsal. prohibentur verò quidam naturâ, quidam
jure.*

14. Naturâ prohibentur, quibus desunt ea, quæ
nuptiæ desiderant; consensus videlicet; ut sunt furiosi
l. 8. pr. de his qui sui vel alieni. Quorum tamen nuptiæ
antea contractæ furoris interventu non solvuntur.
*l. 16. h. t. prodigi vero licet in quibusdam furiosis com-
parentur. l. 7. S. 11. 12. quibus ex caus. in poss. eat. huc non
pertinent,*

15. Impuberes quoque minus idonei sunt ad matrimonium contrahendum *pr. j. h. t. nisi vigor naturæ ætatem suppleat. C. 9. X. de despons. imp.* olim viri majores sexagenariis, fæminæ majores quinquagenariis lege Juliæ Papiæ à nuptiis abstinere jubebantur. *Ulp. tit. 16. §. 2.* Justinianus vero has nuptias admisit. *l. 27. C. h. t.*

16. Porro Castrati, *a. l. 9. j. de adopt. l. 39. §. 1. de Jur. dot.* impotentes & frigidi ad conjugium non sunt idonei, *C. 2. §. 1. X. de frigid. & malef. l. 10. cum auth. seq. C. de repud.* Licet propter impotentiam supervenientem illud non sit dissolvendum *Can. hi qui 32. q. 7.* longè minus ob sterilitatem. *Can. pn. 32. q. 7.*

17. Jure nuptiæ prohibètur vel propter propinquitatè vel alias ob causas. Propinquitas alia est cognationis, alia Affinitatis. Cognatio a. est naturalis vel Civilis. Addunt Canonistæ tertiam speciem, spiritualem sc. ejusq; ratione nuptias inhihent. *l. 1. X. de cognit. spirite. S. R. t. 17. c. 15. §. 2.* Quod & antè à Justiniano Imperatore sancitum fuit, *l. 26. C. h. t.* Nostris tamen in Ecclesiis hodie ea prohibitio piè & rectè sublata est, cum juris illius arbitrium totum in hominibus, nec ejus memoria vetustior sit Justiniano, & aliàs cum omnes fratres & sorores spirituales simus, nullæ inter Christianos constare possent nuptiæ. *Locc. d. disp. 4. §. 9.*

18. Cognatio alia est directæ, alia ex transverso. *l. 1. pr. l. 9. de gradibus.* Illa est inter parentes & liberos; Hæc inter reliquos sanguine junctos. Hujus Cognationis series vocatur Linea; quæ vel recta est, vel obliqua. Intervallum vero quod in hac cognatione, personam generatam à generante distat, Gradus, à similitudine scalarum, appellatur. *l. 10. §. 10. de gradibus.*

19. Ut

19. Ut igitur jam sciatur, quousque cognationis necessitudo nuptiis sit impedimento, discernendæ sunt Lineæ atque gradus, horumq; computandorum attentata ratio est ineunda. Hic autem inter jus Civile & Canonicum magna dissimilitudo, tum, quoad graduum computationem, tum quoad ipsarum nuptiarum prohibitionem, se offert.

20. In linea quidem recta sive perpendiculari computatio utriusque juris eadem est, si rem spectes, saltem in verbis & modo operandi est differentia. Perinde enim est, sive cum Justiniano & Paulo dicas, tot esse gradus, quot sunt personæ. §. 7. j. de gradibus l. f. §. 9. ff. eod. sive cum Canonistis tot esse gradus, quot sunt personæ, stipite dempto.

21. In linea collateralali sive obliqua major differentia est. Quando enim Jctus Paulus adminiculo præcitata regulæ, tam in linea obliqua quam recta, cognationis distantiam satis accuratè supputari posse tradit, si per stipitem, ex qua nascitur quæsitæ persona, transitum fuerit, numerando generationes. l. f. §. 16. v. ideo de gradib. Canones contra duas tradunt regulas: 1. Collateralium in linea æquali, quoto gradu alter à communi stipite distat, eo in se distant. 2. Collateralium in linea inæquali, quoto gradu remotior à communi stipite distat, eo inter se distant. Quamvis vero Civilis computatio Canonicâ longè sit elegantior; attamen quoad causas nuptiales ut plurimum Canonicâ computatione utimur.

22. Nuptiarum prohibitionem quod attinet; ea in linea recta in infinitum protenditur. §. 1. j. b t. l. 53. ff. eod. Levit. 18, v. 17, c. 20, v. 10. 11. Nihilq; interest, ex justis nuptiis cognatio descendat, an vero non. Nam &

& vulgò quæsitam filiam *l. 14. §. 2. b. t.* uti & sororem vulgò quæsitam quis vetatur uxorem ducere. *l. 54. b. t.* Serviles quoque Cognationes in hoc jure observandæ sunt: Igitur suam matrem manumissus non ducet uxorem. *d. l. 14. §. 2. b. t.*

23. Eodem modo in transversali Linea, qui sibi invicem parentum liberorumq; loco sunt, in infinitum conjungi vetantur. Qua ratione quis à nuptiis cum fratris sororisq; liberis, nepotibus, pronepotibus & sequentibus utriusque sexus personis; & vice versâ, inferiores à superiorum conjunctione abstinere debent. *a. §. 5. j. b. t. l. 39. ff. eod. l. 17. C. eod.* quod & juri divino est consentaneum. *a. Levit. 18. v. 12. 13.* Et ibidem non tam personas enumeratas quam gradum ipsum & prohibitionis rationem considerari debere probat Chemn. *de Conjug. pag. 545.*

24. Inter cæteros Lineæ obliquæ cognatos, velut in fratrum & sororum liberos, nuptiæ rectè consistunt *§. 4. j. b. t. l. 19. C. eod. l. 3. ff. eod.* Quæ & jure divino prohibita non leguntur. Licet ante Theodosius Imperator has nuptias, & quidem sub sæverissima pœna inhibuerit *l. 1. C. Theodos. si nupt. ex refer. pet. Vid. Ambros. Epist. 16. Augustinum 5. de Civib. DEI. c. 16.*

25. Hinc in Evangelicarum Ecclesiarum ordinationibus constitutum est: Ne Consobrini connubio jungantur, nisi id per dispensationem, præunte justâ ac legitimâ causæ cognitione ab ordinario magistratu impetretur. *Locc. d. disp. 4. t. 5.*

26. Plane jure Canonico, non tantum hæ nuptiæ improbantur, verum insuper ad quartum inclusivè gradum (qui de jure Civili octavus est) prohibitio extenditur. *c. pn. de Cons. & Affin. ratione additâ ineptâ;*

ipse Johan. Andr. in d. c. pn. quia quatuor humores sunt in corpore humano, qui constant ex quatuor Elementis.

27. Hactenus de cognatione naturali: Succedit Civilis quæ per adoptionem inducitur. l. 4. §. 2. de grad. Hujus ratione in Linea recta in parentes & liberos adoptivos, etiam post dissolutam adoptionem, nuptiæ prohibentur. S. 1. j. h. v. l. 55. pr. ff. eod. quin etiam in Linea Collaterali similis quædam observatio recepta est, ac inter eas personas, quæ respectum habent quasi parentum & liberorum, nuptiæ sunt vetitæ S. 2. 5. j. h. v. l. 17. §. f. ff. eod. d. l. 55. §. 1. h. v. vid. l. 12. §. f. h. v.

28. Sed & veneratione Adfinitatis (quæ est jus necessitudinis inter Conjugem & alterius Conjugis cognatos contractum, l. 4. §. 3. de gradib.) à quorundam nuptiis abstinendum est. S. 6. j. h. v.

29. Genera adfinitatis ex dispositione Canonum olim erant tria, quæ nunc ad unum sunt redacta; in quo, usque ad quartum gradum nuptiæ non admittuntur. c. pn. de cons. & adf. Gradus autem adfinitatis computantur illo jure juxta computationem consanguinitatis, ut quoto gradu mihi aliquis est cognatus, eodem & persona, ei matrimonio copulata, mihi adfinis censeatur. Can. aliter 35. q. 3.

30. Licet autem jure Civili gradus adfinitatis nulli sint. l. 4. §. 5. de gradibus. Nuptiis tamen certis personis, ad similitudinem cognationis, ob adfinitatem interdictum constat. Sic intuitu Lineæ rectæ, nuptiæ inter eos prohibentur, qui sibi invicem parentum & liberorum loco sunt. l. 4. §. 7. de gradib. ut inter socerum & nurum; socrum & generum, Vitricum & privignam, Novercam & privignum. S. 6. j. h. v. Levit. 18. v. 8. 15. 17. & c. 20. v. 14. 1. Cor. 5. v. 2. idem de ulterio-

ribus ejusdem lineæ adfinibus est statuendum. *l. 4. §. 6. 7. de gradib. l. 14. §. f. l. 40. h. t. l. 50. l. 136. l. 146. de V. S. & eousq; procedit, ut honestatis causâ nec sponsam filii. §. 9. j. h. t. nec sponsæ matrem. l. 12. §. 12. l. 14. §. ff. eod. nec uxoris post divortium susceptam filiam ducere liceat; d. §. 9. imò ex eadem causa Vitricus privigni viduæ sese insinuare nequit. l. 15. 40. h. t.*

31. Respectu Lineæ Collateralis nuptiæ inconcessæ sunt inter fratrem & relictæ fratris viduam *l. 5. l. f. C. de incest. nupt. Matth. 14. v. 4. Levit. 20. v. 21.* imò & à fratris sponsa *c. 4. 8. X. de sponsal. & uxoris sorore ejusq; filia ex alio matrimonio, abstinendum est l. 5. C. de incest. nupt. Levit. 18. v. 17.*

32. Ratione lineæ Collateralis inæqualis prohibentur nuptiæ cum uxore patruï. *Lev. 18. v. 14.* quod etidem de avunculi, amitæ & materteræ conjugibus dicendum est. *vid. supr. d. 23. in f.*

33. Innuit *h. 28.* quod mariti cognati uxori adfines fiant & viceversa; non autem mariti cognati, uxoris cognatis adfines fiant. Videmus enim inter proximos utriusque conjugis cognatos, veluti inter privignos, nuptias esse licitas. *§. 8. j. h. t. l. 34. §. 2. h. t. & sic patrem & filium, cum matre & filia nuptias inire posse. c. 5. de Conf. & adf. l. 10. §. 14. de grad.* Licet non adeo svadendas esse has nuptias quidam statuunt ob sat graves causas, quas *vid. apud Gerhard. 7. loc. Theol. §. 357. & 358.*

34. Huc usque de prohibitione, ratione propinquitatis, cui hoc addendum; interdictum divinum *Lev. 18. v. 20.* & nos hodie ligare, contraq; illud, nullam ullius dispensationem (utut illa in civilibus prohibitionibus aliquando admittitur) quidquam posse. *a. Can. sunt quidam. 25. q. 1.*

35. Præter propinquitatem aliæ prohibitionis nuptiarum causæ erant olim, servilis status. *l. 3. C. de incest. nupt.* & senatoria dignitas. *l. 16. pr. l. 42. S. 1. l. 44. b. t.* quæ ambæ tamen hodie cessant. *l. 17. de stat. hom. N. 78. c. 5. & c. 3. N. 117. c. 6.*

36. Insuper & ob suspicionem fraudis in administratione, inter tutorem, curatorem, vel horum filios & pupillam vel adultam, rationibus nondum redditis, interdicitur sunt nuptiæ *l. 15. de spons. l. 59. 60. l. 64. S. 1. l. 66. h. t. l. 7. l. 6. & t. e. C. de interd. matr.* ni pater aliud voluerit *l. 36. h. t.* vel princeps per rescriptum hoc indulserit *l. 7. C. de interd. matr.*

37. Interdictæ & olim Episcopis & Clericis erant nuptiæ, *c. 2. 3. 8. & t. e. X. de Cler. conjug. N. 22. c. 42. N. 123. c. 37.* Hoc autem dogma ut impium, merito ab Evangelicis Ecclesiis cessit. *1. Tim. 3. v. 2. c. 4. v. 3. 1. Cor. 9. v. 5.*

38. Raptoris & raptæ nuptiæ prorsus improbantur *l. un. S. 1. v. nec fit C. de rape. virg.* jure Canonico tamen hæc tenus ratæ sunt quatenus novus consensus accesserit *c. pn. & ult. X. de rape.* Raptor tamen jure Svedico non est appellandus, qui post causam ritè cognitam, sponsâ sibi ter denegatâ non aliter potiri potest, quàm cum januæ effractione *SR. t. 2. c. 4. S. 5.*

39. Tantum de personis, quarum conjunctionem leges respuunt; Reliquarum vero conjunctio vel in primis legitimum consensum desiderat *l. 30. d. R. j. & de jure Suecano etiam testes SR. t. 2. c. 1. & 2.*

40. Consensum intelligimus tum ipsorum contrahentium, tum parentum ipsorum. Contrahentium prima meritò habetur ratio, cum principaliter res eorum agatur *l. 11. de sponsal.*

41. Quocumque autem modo is consensus ex-

plicetur, sive tacite sive expresse, inter presentes vel
absentes, per semetiplos aut interpositas personas, pa-
rum refert. *l. 4. §. 1. l. f. de sponsal.* cum videmus & mu-
tos, surdos, cæcos in nuptias consentire posse. *c. 25.*
X. de sponsal. l. 73. pr. de jur. dot.

42. Consensus autem hic debet esse liber, non
coactus *l. 16. de R. j. vive metuq; in virum constantem*
cadente extortus. c. 24. c. 28. in f. de spons. Metus vero re-
verentialis huc non pertinet. *l. 12. h. t.* nisi severitas pa-
terna prorsus in atrocitatem degeneret.

43. Dolus quoque nuptiis valde obest: ut si for-
te poculo amatorio, vel ebrietate mentem auferente,
quis inductus matrimonio sese obliget, aliisve simi-
libus technis capiatur. *a. l. 7. pr. de dolo mal.*

44. Sed an deceptor ad instantiam deceptæ præ-
cisè, ut præmissum ad impleat cogi possit; uti ille, qui
cum aliter ad concubitum puellam inducere non pos-
set, dixit: Te Johannes desponsat; majoris est dubi-
tationis? Pontifex pro Negat. respondet. *c. 26. de spon-*
sal. An sat benè? videbimus.

45. Præterea & error consensum excludit &
nuptias viciat *l. 9. de jur. ex fact. ignor.* Non tamen omnis:
ut si forte in pulcritudine, virtute, divitiis aliave con-
simili qualitate erretur. *c. un. 29. q. 1. a. l. 19. de R. j.* sane
si pro virgine corrupta ducatur, quamvis Canones
nec hunc errorem nuptiis officere velint. *d. c. un. inf.*
29. q. 1. c. 25. de jurej. Eum tamen summè obesse, mulie-
remq; propterea expelli posse, magis dicendum. *4.*
Deut. 22. v. 21. l. 11. §. 5. act. empt.

46. Errore personæ indubiè nuptiæ viciantur.
c. 26. in f. de sponsal. d. c. un. 19. q. 1. ubi etiam ratio redditur
quare hoc in casu Jacobi nuptiæ cum Lia substituerint.

47. Diximus parentum quoque (patris & matris) consensum esse adhibendum; idq; non tantum de jure Civili. *pr. j. h. t. l. 4. de cur. furios. sed & divino. Gen. 24. v. 27. 28. Exod. 20. v. 12. & c. 22. v. 17. c. 34. v. 16. Deut. 7. v. 3. l. Cor. 7. v. 36. atque naturali d. pr. insc. & Canonico, verum est. Can. nostrates. 30 q. 5. c. honorantur. 32. q. 2. & ita toto die practicatur. Schneid. h. n. 38.*

48. Et quidem in tantum, ut jussus parentis præcedere debeat *d. pr. inst. Quem tamen ex non evidenti dissensu colligere licet. l. 5. C. h. t. l. 7. §. 1. de sponsal. Num. 30. v. 5.*

49. Ratihabitio autem patris ad hoc, ut quasi initio legitime contractæ nuptiæ, & legitimi antea nati liberi videantur, non sufficit. *a. l. 65. §. 1. h. t. l. 6. C. eod. l. 13. §. 6. de adult. l. 11. de stat. hom.*

50. Non tamen hic contemptus parentum consensus sufficiens est causa filium exheredandi, *a. N. 115. c. 3. pr. Licet hoc in filia, intra annum ætatis 25. inconsultis parentibus nubente aliter se habeat. d. N. 115. c. 3. §. 1. quemadmodum etiam de jure Suecano GR. iii. 2. c. 3. & Gallico, propter speciale decretum de Anno 1557. teste Thuano lib. 19.*

51. Quæsitum est; An liberorum nuptiæ sine parentum consensu initæ sint dissolvendæ vel tolerandæ? Si juris divini & Civilis autoritatem & rationem strictâ intueamur & sequamur, nõ dubium est, quin nullæ sint & irritæ pronuntiandæ, adeoque, si pater bonis modis ut consentiat, persuaderi non possit, dissolvendæ. Vid. latè & eleganter hac de quæstione *Cochman. 1. Consil. 1.*

52. Non tamen eousq; liberi parentum arbitrio sunt adstricti, ut nulla ab illo reliqua sit eis facultas dissentientiendi. *l. 12. 14. C. h. t. sed si inter illos non bene*

conveniat, quod forte parentes indignas moribus turpesve personas liberis velint obtrudere. *l. 12. §. 1. de sponsal.* vel eos elocare nolint, negligentve, ad magistratus subsidium convolare licet *l. 19. h. t. l. 18. C. eod.*

53. Filia major 25. annis, quamvis emancipata sit, sine patris & matris consensu, etiam secundas nuptias contrahere nequit *l. 18. §. 20. C. h. t.* Filio autem emancipato hoc lex Civilis concedit, ut ut gravissimæ rationes diversum urgere videntur.

54. Quin & tutorum consensus sponsalibus pupillarum *l. 1. C. h. t.* nec non propinquorum atque Curatorum consilium nuptiis fæminæ 25. annis minoris accedere debet. *l. 18. §. 20. C. h. t. l. un. C. si rector. pr. l. un. §. 1. inf. C. de rapt. virg. Gen. 24. v. 29. Esth. 6. 2. 7.*

Fin.

55. Fines nuptiarum sunt; conservatio generis humani legitima: *l. 220. inf. de V. S. l. 1. l. 27. inf. sol. matr. Gen. 1. 28.* evitatio fornicationis *1. Cor. 7. v. 2.* mutuum vitæ solatium & auxilium *Gen. 2. v. 18.*

Eff.

56. Nuptiæ sic legitimè contractæ suo non carent effectu, cujus partim supra in definitionis declaratione mentio facta est. Addo nunc potestatem maritalem, cujus ratione uxor marito exhibere cogitur reverentiam *l. 14. S. 1. sol. matr.* obsequium, *c. fæminæ 30. q. 5. & operas l. 48. pr. de operis libert. Gen. 3. 16. 1. Cor. 11. v. 9. Ephes. 5. v. 22.*

57. Hujus potestatis autoritate, marito ab aliis detentam uxorem vindicandi, *l. 2. de exhib. liber. l. 11. C. h. t.* nec non moderatè eam corrigendi, nequiquam vero, nisi ob causas gravissimas, verberibus afficiendi jus conceditur *l. 8. §. 2. inf. de repud. N. 117. c. 14. vid. 1. Pet. 3. v. 7. Coloss. 3. v. 19. Ephes. 5. 25.*

58. Eiusdem potestatis intuitu maritus & Nutricius *tit. 2. c. 9.* & legitimus defensor est uxoris, non contra *l. 1. §. 1. l. 2. de injur.*

59. Amplius ex justis nuptiis justis procreantur liberi, *pr. j. de patt. pot.* Qui censentur legitimi decimo vel etiam nono mense editi *l. f. C. d. post. hered. l. 3. §. pn. de suis & legit.* Septimo quoque mense perfectum nasci partum, ex Hypocrate Paulus

lus probat. l. 12. de stat. hom. octavo mense natum, vix vivere posse putant, pro legitimo autem agnoscunt. Undecimo mense natum pro illegitimo haberi colligitur ex. l. 29. pr. de lib. & post. N. 39. c. 2. quod tamen non perpetuum: Cum & exempla 12. mense, imo decimo tertio editorum adferantur. In quibus, medicorum Judicio standum.

60. Porro tanta vis est nuptiarum, ut liberi ex concubina suscepti per illas legitimentur, dotalibus instrumentis intervenientibus. l. 10. ii. pn. C. de nat. lib. N. 12. c. f. N. 89. c. 8.

61. Liberi sive in matrimonio editi, sive postea legitimiti protinus patris potestati subjiciuntur. pr. & §. f. j. b. t. quæ olim usque ad vitæ & necis arbitrium se extendebat l. f. C. de pat. pot. l. 11. de lib. & post. Hodie vero summâ ratione mitigata est, l. 5. ad L. Pomp. de parricid.

62. Hactenus de legibus, quæ in nuptiis observandæ. Quæ si violentur, legitimæ animadversiones non desunt. Nam & ipse DEUS temeratoribus suæ legis totale excidium minatur Lev. 18. v. 29. Et capitaliter in quosdam animadverti statuit Lev. 20. v. 11. & seq.

63. Nostris legibus nuptiæ inter cognatos & adfines in gradibus prohibitis contractæ nefariæ & incestuæ pronunciantur §. i. j. h. t. l. f. b. t. N. 12. Quarum pœnæ enumerantur in l. 6. & auth. ex complexu. C. de incest. nupt. N. 12. c. 1. & 2. N. 89. C. f. & comprobavit Const. Carol. 477. 117. Et quidem pro atrocitate delicti in linea recta pœna mortis decernitur, Lev. 20. v. 11. A. Can. adulterii verb. vincit mal. 32. q. 7.

64. Quæ vero non contra prohibitionem graduum, sed aliter contra præscripta legum contrahuntur nuptiæ, dicuntur inutiles, earumque pœnæ partim notantur in §. pn. j. h. t. aliz hinc inde dispersæ sunt in l. 4. C. de incest. nupt. l. 66. C. h. l. 7. C. de interd. matr. l. un. C. si quacunque. l. 1. C. si nupt. ex refer.

65. Hæc de modo contrahendi nuptias dicta sunt: nunc quomodo eadem rursus vel inter vivos vel mortis interven- tu dissolvantur, paucis. Et quidem inter vivos divortio facto, solvuntur: cujus hodiè ex præcepto CHRISTI, una tantum legitima causa est, nempe adulterium, Matth. 5. v. 32. c. 19. v. 9.

Sub.

Contrarij

Subjungit Paulus malitiosam desertionem ab infideli factam.
1. Cor. 7. v. 15. idem de quocunque malitioso desertore nostrates
intelligant.

66. Ob alias causas, utputa continuas infidias & machinationes mortis, nimiam sævitiam, capitale odium & alias gravissimas causas, morbos contagiosos & incurabiles; separatio quidem aliquando, quo ad mensam & thorum (quam divortium minus plenum vocant) conceditur, sed non quo ad vinculum. Quomodo tamen ad hanc non facilè deveniendum sit, sed alia prius remedia tentanda. *vid. apud Mentz. de Conjug. p. 223, Turn. l. 1. de Conj. c. 3. Locc. d. disp. 4. §. 55. De jure Civ. quæ divortii sint causæ vid. l. 8. C. de repud. quarum aliquot Justinianus amputavit, aliasq; adjecit. N. 117. c. 8. 9. 10. 12, 14.*

67. Mortis quoque interventu vinculum nuptiale dirimitur *l. 1. de divort.* adeoque novam conditionem querere superstiti licet. *Rom. 7. v. 2. 3. 1. Cor. 7. v. 39. c. f. 35. 9. 1*


68. Morte autem Civili, deportatione, proscriptione, *N. 22. c. 13. 22.* damnatione in metallum, nuptiæ non solvuntur *d. N. 22. c. 8.* Nec etiam captivitate, quousque certum est, captivum vivere vel si incertum, antequam quinquennium, (quod tamen aliquando pro qualitate personarum & circumstantiarum extendendum) transierit *N. 22. c. 7.*


69. Quid si uxor post diuturnam absentiam ex consensu magistratus nupserit & prior redierit? Posterior cedere tenetur, si modo justas absentia causas habuerit, nec cum alia vixerit. *Locc. in Synops. diff. 3. m. 2. §. 19.* ubi memorabilem Historiam de quodam, per viginti duos annos captivo, refert.

Corollaria.

- An nuptiæ moribus nostris emancipationis vicem obtineant? Aff.
An pactum de mutua lucracione dotis & donationis propter nuptias sit licitum? Aff.
An ob dotem promissam, non autem solutam, expelli mulier possit? Neg.
An Legitimati per subsequens matrimonium etiam in Feudis succedere possint? Neg.
An sponsalia mutuo dissensu solvi queant? N.
An binis sponsalibus contractis, priora præferantur? Dist.

SOLI DEO GLORIA.





www.books2ebooks.eu